

Petrus Notarius sacri Palatii jussu prædictarum partium duo brevia inde scripsi, & eas per a, b, c, d. divisi. Ego Ubertus ecc. Ego Henricus ecc.

Edidit Malacarnes haud indiligenter exceptis aliquibus omissionibus lin. 21. & l. 56. & 57. Quod in hoc documento dignum mihi animadversione videtur est fodri jus, quod Aquenses ab Episcopo redemerunt. Quod sane ostendit Septebrium sub Ecclesiæ Aquensis dominio hoc tempore stetisse. Equidem fateor per hanc Ep. Hugonis fodri venditionem jura Ecclesiæ in hoc oppidum imminuta admodum fuisse, at non ita, ut supremam in illud jurisdictionem amiserit, quam per plures annos adhuc retinuisse discimus ex renovatione investituræ facta a Lothario Præposito Ecclesiæ Vassallis, quam hic in antecessum exhibeo desumpta ex autographo Tabularii Capituli.

Anno Domini MCCLVII., indictione V., die Veneris XXII. februarii. In Aquis Ugo Montanus de Septebrio, Rufinus filius quondam domini Petri, Resonatus & Johannes de Galono ejusdem loci eorum nomine, & nomine aliorum suorum consortum de Castello de Septebrio fecerunt & juraverunt fidelitatem D. Loterio Præposito Aquensi majoris Ecclesiæ nomine S. Mariæ recipienti nomine dictæ Ecclesiæ de illo feudo, quod ipsi tenent a dicta Ecclesia, vel sui antecessores visi erant tenere in Septebrio, vel alibi secundum quod continetur in capitulo fidelitatis, & D. Loterius nomine dictæ Ecclesiæ ipsos investivit de toto illo feudo, quod ipsi, vel sui antecessores tenerent, vel visi erant tenere a dicta Ecclesia, vel pro dicta Ecclesia, qui D. Loterius Præpositus præcepit, ut ipsi reddant prædictum feudum in scriptis, qui supra dicti Vassalli dicunt, & manifestant ipsi D. Loterio, quod omnes decimæ eorum poderiorum, & eorum antecessorum sunt de illo feudo, & a dicta Ecclesia prædictas decimas tenent. Item & insulam de vado Rubeorum, cui cohærent Bruni de Septebrio, & Burmia. Item in valle Urbis in loco ubi dicitur Vinastus petiam unam terræ, & de qua terra habent, & habere debent omni anno ad festarium Canevæ fest. XII. vini, & consistentur prædicti Vassalli, quod de eorum campo de sancto Stephano de Septebrio reddunt, & reddere debent dictæ Ecclesiæ S. Mariæ de Aquis star. IIII. frumenti ad justam mensuram Aquis, quando est messis, vel esse debet. Unde duas cartas fieri rogaverunt ejusdem tenoris. Interfuerunt testes Ubertus Matohes, Ogeriotus de Vibiano rogati. Ego Henricus de Porta Notarius Palatinus ecc.

Tregua Trasardi Legati Imperialis.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo nonagesimo quarto, indi. XII., XIV. die mensis januarii. Ego Trasardus legatus aulæ Imperialis statuo, & præcipio firmam treguam esse omnibus, & inter omnes civitates, & loca, quæ juraverunt stare mandatis domini Imperatoris, & meo, & super discordiis, & guerris, quas habebant ad invicem, ita scilicet ut homines omnium prædictarum

civitatum, & locorum secure vadant, & redeant per aquam, & terram in rebus, & personis, & mercatis, & quocumque voluerint, & nullus offendant alterum. De Blava vero quod statuerunt Civitas unâquæque de suo, non mutamus omnino, sed si aliqua persona de prædictis civitatibus, & locis noluerit ducere Blavam aliunde per terram, & Episcopatum alterius civitatis non prohibeatur. Si qua vero de prædictis civitatibus, vel locis fregerit hanc treguam, præcipio ut restituat læsis omnia ablata, & damna infra XV. dies, & insuper solvat centum Imperiales mihi, vel certo nuncio meo infra mensem postquam fuerit requisitus pro pœna persolvat. Quod si persona specialis, vel personæ hanc treguam fregerint præcipio, ut civitas, vel locus, de cujus districtu est illa persona, vel personæ, restituat læsis omnia ablata, & damna illata infra XV. dies. Sed si talis persona fregerit treguam, quæ non habet unde restituat, de persona illius justitiam faciant, quam si habere non possent, banno supponant, nec relaxabunt bannum, donec satisfactum fuerit damnum passis. Præterea si quod castrum, villa, vel locus, vel persona alicujus prædictarum civitatum, vel locorum treguam hanc fregerit, præcipio, ut civitas, vel locus, de cujus districtu est illud castrum, villa, vel locus, vel persona, quæ treguam fregit infra XV. dies restituat damnum passis omnia ablata, & damna. Quod si civitas, vel locus, ad quem pertinet restitutio infra XV. dies, sicut statutum est, eam non fecerit, ipsa civitas, vel locus solvat nobis, vel certo nuncio nostro libras 100. Imperiales pro pœna infra unum mensem postquam inde fuerit requisitus. Idem statuo de Marchione Montisferrati, & ejus terra, atque hominibus. Item præcipio, ut omnes captivi rustici, & alii, qui ostiatim mendicant, & omnes alii, quos consules prædictarum civitatum, vel locorum cognoverint, vel bona fide crediderint ita pauperes esse, ut in captivitate se non possint de suo procurare infra quatuor dies postquam fuerint domi præfati consules libere, & absolute dimittantur. Omnes autem quicumque fuerint capti infra tempus treguæ, quam statui, absolute, & omni occasione remota libere dimittantur tam pauperes, quam divites infra quatuor dies. Hanc enim treguam secundum prædictum tenorem qualiter supra legitur per omnia observari præcepit præfatus D. Trasardus, & sub debito Sacramenti videlicet Mediolanensibus, Placentinis, Cæsariensibus, Cremensibus, Grabadonensibus, Demaxinis (forte de Caxinis) Clavenisibus, Papiensibus, Cremonensibus, Laudensibus, Bergomensibus, & Cumanis, qui ibi erant in sua persona, & juraverunt stare suo mandato, sicut instrumentis inde factis continetur. Actum in Palatio Vercellensis Episcopi præsentia D. Alberti Vercellensis Episcopi. Interfuerunt testes de civitate Vercellarum Guido Advocatus, Bemundus, Martinus Bischerius, Gulielmus de Biogracano, Rombellus, Buffanus, Nicolaus de Fontaneto, Joannes de Oliva, Ardito Alzatus, Landricus Caraita, & multi alii, qui ibi erant in plena Curia.